



Politicorum Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIII. Simulationem virtutis & præcipuè religionis esse noxiam
Reipublicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Maximianus.

nianus Hercules laqueo vitam finiuit. Ecce tibi in nobilissima, potentissima, legibus instructissima Monarchia, ordine continuato succedentes sibi imperatores annorum trecentorum omnes violenta morte functos, nullum sua die, nullum suo fato extinctum, vnum excipere tibi permitto Antoninum Pium, quem morbo interisse tradunt. Ecce ira Dei reuelatur super omnem impietatem & iniustitiam, neminem opes aut maiestas tutantur. Cur tam conspicuo exemplo, tam diu sic improbos Deus ultus est? Nempe ne quis ignoraret, scelorum poenas repraesentari, ne priuatus impunitatem speraret, cum orbis terrarum capita tam longa serie carnifici destinata videret.

Tot mortes imperatorum
imperatorum
violenta care
re fieri
mundo.

Tot mortes imperatorum intueri, sed prius immania, turpia, & naturae rerum inimica scelera, deinde plurimum tyrannorum, qui cum illis belligerant, senatorum qui occisi, urbium quae euerse casus mirabiles consideremus, vt nobis clarissime appareat, quomodo ira Dei reueletur super omnem impietatem, & iniustitiam hominum, veritatem Dei in iniustitia detinentium.

Imperatores enim & capita populorum summo orbis concussu, per latera principum, & populorum exitia ceciderunt.

CAPVT XIII.

Simulationem virtutis & praecipue religionis esse noxiam Reipublicae.

Perniciosissima res est
simulatio
virtutum.

§. 1. **L**AVDANT interdum etiam virtutem Pseudopolitici, sed cum serio illa in principe exigitur, cum senatorius ordo, populi que tribus ad eam informantur, vmbra & mortuum virtutis simulachrum pro ipsa nobis virtute proponunt. Simulare iustitiam, temperantiam satis esse ducunt. Ciuitatem nobis effingunt, quae sit Helena foris, intus Hecuba. Principem ita erudiunt, vt preces in haec verba concipiat.

Da mihi fallere, da iustum sanctumque videri.
Noctem peccatis, & fraudibus obuiue nubem.

Senatores autem, & tribunos principi non dissimiles.

Οἱ τ' εὖ μὲν λαλέουσι κακῶς δ' ὀπίθεν φερέουσιν.
Qui bene quidem loquuntur, at post male machinantur.

Vir bonus
est in peri-
culo sit, mi-
nus tamen
est quam
malus.

Machiauellus certe negat Principem posse bonum esse. Cap. 15. Nam tantum abest ratio, qua homines viuunt, ab ea, qua aequum esset vt viuerent, vt qui negligit quod sit, sequitur quod esset faciendum, & sibi ruinam ponere tamen minus in addiscendo accersit, quam quod suae salutis consultum velit. Qui enim se virum bonum omnibus partibus profiteri studet, cum certe inter tot non bonos periclitari necesse est. Necessarium est itaque Principi, vt perceptum habeat (si se saluum velit) qua ratione possit esse non bonus, idque pro rei necessitate, in suum conuertat, vel non conuertat vsu. Quapropter posthabitis, qua de principe duntaxat animo sunt efficta, deque iis qua vera sunt differens, dico omnes homines (cum de his est sermo) principes praesertim, quod editiore in loco positi sunt, harum rerum notari aliqua solere: vt alius liberalis, restrictus & tenax alius dicatur: quidam munificus, raptor alius; nonnulli crudes, alii clementes: aliqui fidei, religiosi alii; partim effeminati & molles contra alii viri fortes & feroces, multi humani, superbia tumidi alii; complures libidinosi, castitate praediti nonnulli: in non paucis vita integritas, fraus nocentissima in multis cernitur: moribus asperi sunt quam plurimi, facilitate & lenitate quidam ornati, non-

nulli graues & seueri, ex contrario qui leues sint, dissoluti: pietatem colant multi contra sunt qui plurimum aduersantur, & his similia.

Cum igitur bonum esse posse neget, monet tamen, vt caueat infamiam eorum vitiorum, quibus illi imperium adimipossit, de aliis non multum laboret, sine quibus dominatum non facile tueri possit. Et cap. 18. Qui vero sagacior fuit, vt vulpium ingenium melius exprimeret, ei felicius omnia ceciderunt. Verum, cum duo sint genera decertandi, vnum iure legum, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum ad posterius, si non satis est vi superiore. Proinde necessarium est, vt Princeps rectum vtriusque, & belluae & hominis vsu teneat.

Improbi a-
stutia tri-
buunt fel-
icitatem.

Inuolucro quodam hac pars principibus est à veteribus scriptoribus tradita, asserentibus Achillem compluresque alios ex prisca illis principibus, Chironi centauro educandos, atque in eius disciplinam fuisse creditos. In eo enim quod preceptorem mixti generis, & hominis & belluae habuisse dicunt, nihil quam principi fore necessarium docent vtriusque naturae vsu. Cum itaque principem magni referat belluinum ingenium scite inducere, ei tum vulpis, tum leonis mores assumendi erunt. Nam leo sibi à laqueis non cauet, lupos vero vulpecula reformidat. Quo itaque laquei sentiantur, vulpeculam agere oportet; lupo vero quo deterreantur, leoninum ingenium est subeundum. Qui igitur leonis vestigia simpliciter insistant, sane rem ipsam non tenent. Princeps propterea qui sapientia sit praeditus, debet ea promissa vitare, quae suis commodis contraria fore vident. Atqui homines si probi fuissent omnes, preceptum hoc plane fuisset inutile: verum cum improbi sint, diligenter eorum improbitas persidiaque erit eludenda. Iam vero nunquam hominibus de iure sunt caesse, quibus in violatam fidem colorem inducant. In hanc rem se re infinita possent recentia proferri exempla, atque ostendere quot pacis fœdera, quot promissa & conuenta fuerint persidia irrita & vana: Verum hanc naturam plurimum refert, vt quis recte norit colore vestire cum simulando, tum dissimulando: homines enim adeo simplices sunt, adeo praesentibus necessitatibus obsequentes, vt qui fallax, & simulationis artificio eruditus sit, statim sit habiturus qui se illi decipiendum tradat, quo magis tales homines cauendi erunt, eorumque artificium arte frustrandum.

Atqui vt alia nulla dixerit ille vitiorum doctor, certe haec ad euertendam rem publicam abunde sufficiunt.

§. 2. Nihil fœdus simulatore, cui etiam serio agenti non potest credi nisi ab insano. Nunc quidem contra hypocrisin, fallacemque simulandi, dissimulandique artem pleraque omitam. Sed ea praecipue quae ad politiam pertinent attingam.

Simulationem, dolum, hypocritin vehementer displicere Deo Spiritus sanctus frequenter inculcat, Iob 8. 13. Spes hypocrite peribit, Non ei placebit uerba sua, & sicut tela aranearum fiducia eius; Et Iob. 36. 13. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Et Psalm. 5. 7. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Eadem repetuntur, Iob 15. 34. & 20. 5. Psalm. 54. 24. Matth. 7. 5. Luc. 16. 15. Magnitudo huius sceleris quatuor ex causis sumitur.

§. 3. Primo enim Deum grauissime offendit, quia duo semper scelera coniungit, & copulat, nam vt inquit S. Augustinus in Psalm. 36. Simulata innocentia non est innocentia, & simulata aguitas non est aguitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, & simulatio. Pulcherrima causa reddita, id Alphonfus explanauit, cum enim ex Africa victor in Aenariam insulam venisset, audissetq; Antonium Picensi in signis simulandi artificem, ob blasphemias, & hypocritin à vermiculis corrosum miserimo modo vitam finiuisse, ideo Deo tam exolos esse hypocritas dixit, quod mortales fascinent, fallerentque, & huius sceleris ac perfidia Deum facerent mediatorem, & praetextu tanta maiestatis

Iam simu-
lationes ad-
eo nota sunt
vt alteri
vix illius,
nonnulli si-
bi vis cre-
dant.

Simulatio
exosa Deo.

faciunt

Hypocrite in hac vita puniuntur, quia Dei numine ad perfugiarii fallacias abutuntur.

Simulatores politici etiam Deo se imponere posse confidunt.

Simulator nec moneri, nec instrui potest.

Simulatio omnium odio digna censetur, ideo potens est natura ad regna destruentia.

Simulatio ne etiam beneficia exosceduntur.

Federa simulationis virtutis.

facinorosa susceperunt; quocirca non modo aternis post mortem penis addici, sed plerumque in conspectu hominum arte deceptorum puniri ac cruciari. Ita que fieri videmus, cum, quod in tenebris factum est, Deus producit, & palam facit in conspectu solis huius errorem tolli: nisi enim tam secrete in improbos illos animaduiceret diuina iustitia sinceritatis incommutabilis exactrix, assuetudine fallendi homines etiam Deum se fallere posse arbitrarentur. Nec defuisse consiliarios & politicos pereuntis Iudææ, qui ita sentirent, testatur Isaias cap. 29. 15. *Va, qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruersa est hac vestra cogitatio: quasi si lutum contra signum cogiteret, & dicat opus factori suo, Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo, non intelligis. Nonne adhuc in modico & in breui conuerteretur Libanus in Charnel, & Charnel in saltum reputabitur?*

§. 4. Secundo. Simulator ipse, & facile labitur, & suis artibus precipitatur, vt nunquam euadere queat: admoneri enim & corrigi non potest, ipse enim tanquam innocens, & iustus castigatio- nes præoccupat, quasi aliorum dux, atque auctor. Sepulchra sunt, sed clausa, & quamdiu possunt fectorem cohibent. Tales fuere in Syria & Ægypto Monachi quos Sarabaitas nominant, Hieronymus Remoboth appellat, habitu, gestu, solitudine sanctitatem mentiti, animis nequissimi. Hoc ipso in malo contumaces, quod quicquam boni iubentur facere, id simulent.

§. 5. Tercio, quod nulla re magis homines offendi solent, quam simulatione iustitiæ, & pietatis; quemadmodum sinceritate & fide delectantur. Oraculum est S. Ambrosii lib. 22. de officiis, ad omnia abundat directæ animi simplicitas, satisque se ipsa commendat. Itaque in Republica nihil damnosius quam simulationis suspicio, quæ omnia beneficia, facit irrita, omnem comitatem, omnem humanitatem exosam reddit. Sine opinione fidei & pietatis non potest gubernari respublica, si autem simulatio intelligatur, extrema odia, contemptusque sequitur. Nihil fictum & fucatum, veræ virtutis esse opus, certum est; quin etiam & diuturnum esse non solet. In principio vernat, in processu tanquam flosculus, dissipatur, & soluitur, quod autem rectum ac sincerum est, alta radice fundatur. Non possunt ne quidem ipsi simulatores, & improbi ferre artis suæ æmulos hypocritas. Certe poeta quidam ne oculos lædat, fugam meditatur, tam grauis erat illi simulationis aspectus. Iuue. Satyr. 2.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glaciale Oceanum, quoties aliquid de moribus audent, Qui curiosi simulant, & Bacchanalia viuunt. Indocti primum: quanquam plena omnia gypso Chryssippi inuenias. nam perfectissimus horum est, Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit Et iubet Archerypos pluteum seruare cleanthos
F O N T I S nulla fides, quis enim non vicus abundat.

Tristibus obſcenis?

Sed quo fugias? forte & ipse vltra glaciale Oceanum tecum vehes hypocritam, forte & tuo corde pus aliquod velatur, & fronte polita tætrum scelus tegitur. Vultus forte est agni, interiora Draconis sunt. Quam odioſe illa perſtringit Seneca (Hippolyto)

Vbi vultus ille, & ficta maiestas viri? Atque habitus horrens, prisca, & antiqua appetens? Morumque senium triste, & aspectu graue? O vix fallax, abditos sensus geris.

Animisque pulchram turbidis faciem induis. Pudor impudentem celat, audacem quies, Pietas nefandum, vera fallaces probant, Simulantque molles dura.

§. 6. Simulandi artificio an Tiberium vllus superat principum dubito. Describit eius ingenium Dio Nicaeus, Tiberius, patricius erat & doctus, sed ingenio & moribus peculiaribus rarisque. Nam ita omnes animi affectus occultabat, vt quæ cupiebat, nunquam fere diceret pugnaretque cum oratione voluntas eius & desiderium, id enim deſeſabatur quod expeſebat maxime, & quod oderat diſſimulabat. Iraſcebat nulla re conturbatus: iratus, tranquillissimo æquiſmoque animo eſſe putabatur. Commiserabatur eos, in quos grauitè animaduſcerat: & quibus veniam dabat, ſuccenſebat non vnaquam. Sic amplexabatur inimiciſſimos homines, vt ſibi familiariffimos & coniunctiſſimos: Contra autem cum amiſſiſſis non realliter ſe gerebat, quam cum alieniſſimis hominibus. Denig, putabat principis animum nemini cognitum eſſe oportere. Quod ſi id in Tiberio tantum fuiſſet, haud obſcura eſſe potuiſſet eius voluntas is qui tentatiſſent ſuadiſſentque eam habere cognitam: quippe omnia in contrariam partem accipiſſent. Nam & quum ſe aliquid velle negauiſſet, tum id eum deſiderare maxime, & quum cupere ſe dixiſſet, tum eum id nolle exiſtimaiſſent. Sed præterea quæ ſupradixi, grauitè ſerebat dum ſuſpicabatur aliquem eſſe conſcium, & participem conſiliorum ſuorum, multoſque non aliam ob cauſam interfici iuſſit, quam quod diceret ab is voluntatem ſuam animaduſſam, & perfectam eſſe. Itaque is ſolus fere tutus erat (quod tamen peraro accidit) qui neque ingenium eius ignoraret & mores, neque pateſceret cognitos. Nam eo pacto qui ei parerent, non decipiebantur, nec propterea in odium eius venebant, quod oſtenderet, ſe ea quæ ageret, percepiſſe. His moribus præditus Tiberius, quaſi ſtatim imperium adeptus eſſet, non modo ad exercitum, ſed etiam ad nationes omnes Roma litteras miſit, in quibus tamē non ſcripſit ſe Imperatorem eſſe factum, propterea quod id nomen ſibi vna cum ceteris nominibus decretum à ſenatu repudiauit, hereditatemque Auguſti, non cognomen admiiſit.

Hoc ingenium principis, ad diſſimulandum, ſimulandumque facti. At nunc quæ inde ſecuta ſunt intueamur. Primo cum imperium recuſaret, Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat: Idcoque quidam obijciebat, alios quod promitterent, tarde præſtare, Tiberium, quod præſtare, tarde promittere. nam tantum cum in ſenatu loqueretur, cunctator erat.

§. 8. Secundo. Iam vique adeo ſimulationi aſſueſcebat animum, vt ſincera verba promere non poſſet. Tiberioque (inquit lib. 1. an. Tacitus) etiam in rebus quas non occuleret, ſeu natura, ſeu aſſuetudine ſuſpenſa ſemper & obſcura verba: Tunc vero, mienti vt ſenſus ſuos penitus abderet, in incertum, & ambiguum magis implicabantur. Quantum vero cum dedecore detrimentum eſt, in omni principis ſermone dolium, & mendacium apparere, ſemperque vulpinam emicare?

§. 9. Tercio. Nihil tanto artificio actum eſt, nam & hiſtriones ſeu hypocritæ, quanto maiore ingenio theatricis nugis vocem geſtumque accommodant, magisque ficta veris aſſimulant, tanto meliores habentur hypocritæ. (Sunt enim hypocritæ ſimulatores, tanquam prominciatores alienarum perſonarum, vt Auguſtinus Serm. De in monte & Baſ. Hom. de ieiunio) ita & magiſtratus quanto maiore artificio beneuolentiam, iuſtitiam, pietatem ſimulant, tanto callidiores, & fraudulentioreſ exiſtimantur. Tiberio enim nemo credidit. Vide enim ſubditorum miſerias ſub illa ſimula. Tacit. ann. 1. At patres, quibus vnus metus, ſi intelligere viderentur, in queſtus, lacrymas, vota effundi, ad Deos, ad effigiem Auguſti, ad genna ipſius manus tendere.

Summum ſimulationis artificio in Tiberio.

Simulatori quamuis artificio non creditur.

Aſſuetudine ſimulandi eo veniunt, vt ſincera verba non ſuſpetant.

Simulatores quo prapius vero ſunt, hoc magis ſuſpecti.

Nec immerito. Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem, nam verba, vultus in crimen retorquens reondebat. Magnum periculum animis sic consternatis, sic dubiis. Si enim vel vnus tum vir animi Brutiani aut Cassiani fuisset, vno verbo tanto metu patres omnes liberare poterat. Sane princeps ille nullum amicum verum habuit, omnium hominum fucatus amicus, verus inimicus, ipse in omnium diro odio contabuit.

Summo in periculo fuit simulator.

Simulata nulla latent.

Videō princeps simulationis exitum, summam infamiam, cum summo odio.

Cūtra vulpes plures tendicula.

Odium populi.

Summus rerum simulator in perpetuo est carcere, anxiusq; carnissem expectat.

Domi omnia incerta curas longinquas impediunt.

Simulatione caritatis simulator suffocatur.

Annus vnus ingenium principis detegit.

§. 10. Quarto. Non modo quæ in aperto simulabat, & de quibus laborabant, ne intelligere viderentur, sed omnia eius secreta publicabantur. Marcellum Bithynia prætorum quæstor Crispinus maiestatis postulauit, eumque infamauit, finistros de Tiberio sermones habuisse. Ineuitabile crimen, cum ex moribus principis, fœdissima quæque deligeret accusator, obreclaretque reo. Nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Arcana igitur omnia patebant, & quod tanto artificio tegebatur, iam fama erat. Suetonius cap. 66. Prebant insuper anxiam mentem varia vndique conuicia, nullo non damnatorum omne probri genus coram vel per libellos in orchestra positos ingerente. Quibus quidem diuersissime afficiebatur, modo vt præ pudore ignota & celata cuncta cuiperet, nonnunquam eadem contemneret, & proferret vltro atque vulgaret. Quin & Artabani Parthorum regis laceratus est literis, parricidia, & cades, & ignauiam, & luxuriam obicientis, momentisque vt voluntaria morte, maximo iustissimoque ciuium odio quamprimum satisfaceret. Postremo semet ipse perasus, talis epistola principio tantum non summam malorum suorum professus est, &c.

§. 11. Quinto. Nunquam ea simulatione securus fuit. Seruus Agrippæ Clemens non contemnendam manum in vitionem domini comparat, & clam ei multi opitulabantur. L. Scribonius Libo res nouas moliebatur, seditio militum in Germania, & Illyrico, postremo Romæ omnibus detestabilis, insula sese inclusit, & quis fuerit in eum animus hominum, morte detectum est; ita enim morte eius lætatus est populus, vt ad primum nuncium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim trahi clamarent, pars terram matrem deosque manes orarent, ne sedem vltimam mortuo, nisi inter impios darent, alij vnicum, & Gemonias caduere minitarentur. Et vitam quoque perpetuo in metu debebat. Timore enim Seiani, cum res in incerto esset, apparatus nauibus ad quasunque legiones fugam meditabatur, speculabundus ex altissima rupe identidem, signaque, ne nuntii morarentur, tolli procul, vt quidque foret factum, mandauerat. Verum & oppressa coniuratione Seiani, nihilo securior, aut constantior per duodecim proximos menses, non est egressus villa quæ vocatur Iouis.

§. 12. Sexto. Hinc in senatu nulla erat Reipublicæ cura, ceteri extrema imperii dehonestarentur; nam pavor internus obsederat. Interim Tiberium ne quidem iam morientem simulatio deferuit, nam etiam deficiens conuiuium instaurari iussit, donec Macro prætoris cohortis præfectus iniectu multæ vestis senem obrui iussit, ita factum, vt nullum amicum nisi simulatum habuerit. Iusto, veroque Dei iudicio, vt suis artibus interiret, qui toto imperio hoc egerat, vt nemini pectoris arcana detegeret, qui multos ea duntaxat causa occiderat, quod voluntatem eius, ac consilia lenisse viderentur.

§. 13. Inutilis igitur imperio, semper perniciofa principi est simulatio; natura enim ita comparati sunt hominum animi, vt cum quem suspectum habent, quem diffidentem vident, continuo oderint, nec illi se committant, nec sint fidi; mutua enim fides obligat fidem. Neque diu regi simulatio potest in principe, multa enim temporis progressu fa-

cienda sunt, quæ testæ fuerant, & contraria simulata, itaque fieri non potest, quin plerisque vnus anni obseruatio, & experientia satis de ingenio principis instituat. Dum agi in exilium, dum trucidari vident, quos paulo ante in sinu gestare videbantur, non possunt dubitare, in altum idcirco sublatis, vt grauiore casu eliderentur. Hoc ergo pro bono principis monitum volo.

Tu recte viuas, (imperas) si curas esse quod audis.

Pro simulatore vero.

Ἐχθρὸς γὰρ μοι καὶνὸς ὁ μὲν αἰσῶν πύλησι,
Ὅς ἔπειν μὲν κείδει ἐν φρεσὶν, ἀλλ' οὐδεὶς αἶψα.
Ille mihi aequus atque inferorum portæ odio est,
Qui aliud mente recondit, aliud loquitur.

§. 14. Quantum malum hypocritæ summum est. Quod omnia scelera clam tegit, fouet, auget. Ideoque cum tenui, incerta, mutabili simulatione falsi boni, tot vera mala celentur; necesse est, ea arte Republicam interire.

§. 15. Manent in sententia tamen Athei, idemque posse opinionem & veritatem defendunt. Minos Cretensium rex Ioue se ortum finxit, in specus præaltum vetustissimæ superstitionis, quasi leges à Ioue accepturus descendere solitus erat, eius exemplo Numa nocturnos sibi cum Ageria congressus esse, credi volebat, ab ea se edoceri, sacraque à diis immortalibus accepta tradere.

Lycurgus simili commento, Apollinem legum suarum rogatorem ferebat. Zaleucus Mineruæ consilio se vsum Lorenibus perfratit. Scipio Africanus ad negocia non egrediebatur, nisi in sella Iouis moratus esset, Sulla simulachrum paruum Apollinis ante prælium completi & rogare, vt promissa maturaret. Stolidius omnino Sertorius Lusitanos gentem ea tempestate ferocem & barbaram, nunc omnium cultissimam, candidæ ceruæ, cicuris & familiaris quasi fatidica circumductu fefellit. Simulata igitur religione princeps vt interdum potest.

Equidem teneri superstitione vulgus, & fortius interdum quam vera religione moueri in confesso est. Quemadmodum qui pica laborant, in cibos inhumanos, & obscenos ardentius feruntur, quam in salubres illi, quos naturalis appetentia acuit, ita populus corruptis iam moribus religionis umbra, & vanitate ducitur, sed regno hoc esse inutile, non tantum impium, cum de superstitione agetur, ostendit.

At quia exemplis vtuntur, illa quoque refellenda sunt. Nego enim vel hisce, vel aliis vnquam bene religionis fictæ sacilegia cessasse.

§. 16. Minos Cretensium animos superstitione deuinxit, vt leges quasi à Iouis diphthera fusciperent. Ita sane, sed neque leges seruauit Cretenses, & duas ob res infames fuere, atque inter tria pessima cappa cenæ; nempe quod fraudulentis, & contentioli essent; inde malitiosæ astutiæ fuit nomen Cretismi, & fraudulentæ pacificationis ex more significatio, syncritismus. Ipse Minos simulationis penas dedit; cum enim se Iouis alloquio fuit, deque omnibus rebus moneri, futurorum etiam præscium iactaret, domestica probra nesciuit, adeoque ille simulator infelix fuit, vt uxorem adulteram, hoc est simulatricem, vel si fabulis fides esset, nefandissima Veneris sectatricem haberet, nec vllum domi fidelem, qui Dædali artes detegeret; at neque cum Theus dotali regebat vestigia filo, filiamque abduceret, Iupiter parens monuit, neque quod magis ad salutem regis pertinebat, cum in Siciliam iret vltum iniurias à Dædalo acceptas, mortem infelicem prænunciavit. Siue enim à Siculis mulieribus occisus esset, vt horret fides.

Hero-

De simulationis exemplis in religione.

Minos, Numa, Lycurgus, Zaleucus, Scipio, Sertorius.

Superstitio grauius sepe quam religio tenet populum.

Nunquam religionis simulatio profuit legislatoribus.

Καὶ πᾶσι δὲ καὶ αἰσῶν πύλησι, καὶ αἰσῶν πύλησι, καὶ αἰσῶν πύλησι.

Minos refellit in felix & sua domus.

Minos meo domi fidus, nec vltus, nec filia, quia simulatorum.

Herodorus, siue à Cocalo calore balnei suffocatus, ut Diodorus vult, insigne documentum dedit, simulatae religionis vltorem esse Deum qui non nisi vera, & sincera religione vult honorari. A subditis etiam pro fatuo habitus, qui futurorum praescius, uxoris & filiae libidines ignoraret.

Dij Numae
ociose cogi-
tationes
fuerunt.

§. 17. Numa & Lycurgus Minoem imitati sunt. Numa quidem Magus superstitionem Romae firmavit, de eo prudenter Augustinus libr. 3. cap. 9. de ciuitat. Dei. Illi vero homini pro tanto otio gratulandum fuit, si modo illi rebus salubribus scilicet impendere, & perniciosissima curiositate neglecta, Deum verum vera pietate perquireret. Nunc autem non ei di consulerunt illud otium: Sed cum minus fortasse deceperent, si otiosum minime repperissent. Quanto enim minus eum occupatum inuenierunt, tanto magis ipsi occupauerunt. Nam quid ille molitus sit, & quibus artibus Deos tales sibi, vel illi ciuitati consociare potuerit, Varro prodit. Quod si Domino placuerit, suo diligentius differetur loco. Modo autem quia de beneficiis eorum questio est, magnam beneficium est pax: sed Dei veri beneficium est, plerumque etiam sicut sol, sicut pluuia, vitaeque alia subsidia super ingratos, & nequam. Sed si hoc tam magnam bonum di illi Romae vel Pompilio contulerunt, cur imperio Romano per ipsa tempora laudabiliora id nunquam postea praestiterunt? An utiliora erant sacra, cum instituerentur, quam cum instituta celebrarentur? Atqui tunc nondum erant, sed ut essent, addebantur: postea vero iam erant, quae ut prodesse, custodiebantur. Quid ergo est, quod illi quadraginta tres: Vel, ut alij volunt, triginta nouem anni in tanta pace transacti sunt, regnante Numa: & postea sacris institutis, disijce ipsis, qui eisdem sacris fuerant inuitati, iam praesidiis atque entoribus, vix post tam multos annos ab vrbe condita vsque ad Augustum vnus pro magno miraculo commemoratur annus post primum bellum Punicum, quo belli portas Romani claudere potuerunt.

Dij Numae
inutiles.

Itaque Numa infelicem fecit urbem simulando, cui postea nemo credidit: omnes enim fatentur colloquia Deorum eum simulasse.

Verum multi postea additi sunt, nec Numa Diuis contenti fuerunt, & totum inibus grauata Roma in perpetua clade vixit.

Lycurgus
stolidi reli-
gione obsuit
Spartanis.

§. 18. Lycurgus etiam & Zaleucus laudantur. Verum in vtroque ut nonnulla laude digna concesserim; ita vaticinandi gloriam vane affectatam improbo. Dedit leges Lacedaemonis Lycurgus: sed quibus nulla ciuitas vti voluit, quae cito exolueret. Omnes quidem iureiurando astrinxit seruaturus se leges, dum rediret, ne vero reditu suo eos iuramenti religione solueret, exilium voluntarium elegit, & ne radio peregrinationis aliquando ipse patriam repeteret, vitam sibi ipse abstulit, non modo morte sua infelix, sed etiam legibus, quas mox magna ex parte Lacedaemon vel vitu, & moribus, vel contrariis sanctionibus abrogauit. Non igitur sapiens Lycurgus, ut constat ex eius legibus, quae sunt apud Xenophontem libro de republica Spartatarum. Deinde si patriam amaret, ipse rediret, & bonas leges in mores reduceret; nam etiam praesens iuramento adigere poterat; Quod si redire noluisse, cur se ipse interfecit? quid de se tam male meritis ipse erat, ut contra inuitam à natura legem sibi carnifex esse vellet? Tam ne parum fidebat sibi? tantum erat patriae videndae desiderium? quod non nisi morte poterat sopiri? Quamquam alii, quod potius credo, eum dolore, itaque, quod leges suas violari intelligeret, incertum, illi contumeliae se fato subducere voluisse tradunt.

Error ma-
ximus Ly-
curgi.

§. 19. Zaleucus Locrorum legislator, hypocriticos etiam penas dedit; cum enim statuisset, ut adultero oculi effoderentur, eamque penam filius eius meritis esset; ipse ne filius omnino co-

Exitus hy-
pocriticos
Lycurgi-
nae.

cus esset, supplicium cum eo partitus est, ut alter filio, alter sibi oculus erueretur. Sed non multo post omnes leges neglectae, adulteria impunita fuerunt. Sed de Zaleuci exitu res est occultior, de Locrorum tamen cladibus mirata passim in historia docent, eos simulatione legislatoris felices non fuisse, de Lycurgo testator, ex Plutarcho, Herodoto, Stobaeo. Mihi sat erit adscribere quae libro 5. cap. 3. habet Valerius Maximus. Neminem Lycurgo aut maiorem aut utiliorem virum Lacedaemon genuit: vixit enim Apollon Pythius oraculum petenti respondisse fertur: nescire se verum illum hominem an Deorum numero aggregaret. Huic tamen neque vita summa sinceritas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salutariter exco- gitatae auxilio esse potuerunt, quo minus infestis ciues ex- periretur: Saepe enim lapidibus petitus, aliquando furore publico eiectus, etiam priuatus oculo: ad vltimum ipsa pa- tria pulsus est: Quid alia faciant vrbes; ubi etiam illa, quae constantia, & moderationis, & grauitatis eximiam sibi laudem vendicat, tam ingrata aduersus tam beneme- ritum exitit. Ecce tibi ficta sanctitatis & simula- tionis insignem antistitem, & penam violatae reli- gionis repraesentatam. Quomodo ergo inter hac simulatione felix Lycurgus?

Hypocritin
ciues ipsi
puniant?

§. 20. De Scipione, constat minime fuisse super- stitiosum, & eam illius simulationem Romae ab ad- uersariis irritam, & contra Hannibalem virtute, non superstitione certasse. Penas tamen dedit, nam contemptus, offensus populo in agello suo confenuit, & merore contabectus obiit. Sulla etiam certe minime felix abdicata dictatura Pateo- lis à vermibus consumptus est. Sertorii diuina- tiones exitus elusit, nam à suis inter epulas occi- sus, Luitanos docuit prophetam se non fuisse. cur enim fera illa omnium agendorum tempus mo- dumque praedixit, de morte Sertorii, quam vni- uersae nationis seruitus sublecuta est, nihil mouit?

Scipio ob si-
mulationem
irritus.

Sulla à ver-
mibus de-
uoratus.

Sertorius
ab amicis
occisus.

§. 21. Vana est igitur & odiosa virtutum simu- latio, imo plerumque exitiosa est. Cuius causa est, quod quamuis rudis plebecula vanis ducitur, in- ter ciues tamen multi sunt, qui ista & agnoscunt, & rident. Quis nescit Proculum peierasse, cum diceret, à se vitum Romulum proficisci in caelum, & Quiritem vocari? Dictum est cum perituro; Prullam, & Augustum & Tiberium ille ad Deos, nemo tamen illis pro tam bono nuncio credidit. Haec enim derideri solent, quod si quorundam stupor ad ta- lia implicatur, & trepidat; facile tamen hominum facerorum diueris instituitur, ut pro impostoribus habeantur, qui sanctitatis famam per praestigias au- cupabantur. Quod si eos in re quapiam errare & labi contingat, ut est humana imbecillitas, iam magna pars auctoritatis concidit. Denique hoc sibi princeps, magistratus, populusque fixum habeant, vitream esse famam quae iultorum opinionibus ia- ctatur, sed eam semel fractam, nec apud sapientes, nec stultos posse reparari, talem autem esse gloriam, quae non est ex vero. Oraculum est illud Tullii. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur, ficta o- mnina tanquam flosculi cito decidunt, nec simulacrum quic- quam potest esse diuturnum. Deprehensa autem fraude summum in contemptum veniunt optimates. Ma- tronam grauem, si illi desit forma gratia, nemo ridet, si tamen fucata purpurilla & stibium defluerint, vulgi fabula efficitur, quod praeter decorum aetatis, lenocinium affectarit. Sic minus est detestabilis ma- gnarum impietas, si velo pietatis careat. Plausum illi est, qui dixit, fraudem in principe sediuorem esse, quā violentiam. Merito sane, addo etiā, fraudem principū violentam elic. Si enim circumuenire te dolo malo sublimior potestas volet, minore periculo decipi te patieris, quam

Simulatio
natura sua
odiosa, sola
latendi a-
stutia va-
let, sed nun-
quā omnes,
nec diu.

Falsa opi-
nio ex si-
mulatione
in probrum
irreparabi-
le discedit.

Simulatio
principum
violenta,
deprehen-
si irascuntur,

quam intellectam fraudem indicabis. Deceptus enim damnum duntaxat ferēs, si fraudi occurras; quasi peccari principis conscius, inter inimicos esseberis.

CAPUT XIV.

Superstitionem ex Republica tollendam.

Impietas,
& supersti-
tio ex equo
fugienda.

§. 1. **D**V o scopuli sunt ad quos religio & pietas, si à recto deflectat cursu, alliditur, & crebro frangitur, vnus à longe prospici potest, supra fluctus enim exstat, & dorsum immane maris, exerce & palam nauigantibus minatur; alter sub vndis latet, & incautos excipit, ideoque non nisi à peritis, & vigilantibus vitatur. Scopuli illi sunt impietas, & superstitio. Hinc duo genera eorum qui Rempublicam administrant, alterum plane atheorum, alterum superstitiosorum. Qui athei omnino sunt, Politicos se nominari gaudent, falso omnino nomine, nihil enim magis obstat civili prudentiæ, quam Atheismus, deique ignoratio, & contemptus. Atheorum tamen siue Pseudo-politicorum duplex est sententia de Republica gubernanda. Quidam enim palam omnem non modo religionem, verum etiam superstitionem è medio tollunt. Epicuræos, Diagoramque secuti, vt Mezentius:

Atheismus
Politicen
euerfit.

Dextra mihi Deus, & telum quod misile libro.

Deum in
proelia vo-
cant impij.

Et Mezentio vetustior Capaneus, qui mediis in astris sic loqui auditis est. Theb. lib. 10.

*Nullane pro trepidis (clamabat) numina Thebis?
Statis? vbi insande segnes telluris alumni
Bacchus & Alcides? piget instigare minores
Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior.) En cineres semeleaque basta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me conitere flammis
Iupiter. An pauidas tonitru turbare puellas
Fortior? & foteri turres exscindere Cadmi?*

Athei ex
multitudi-
ne hærescon
nascuntur.

Tales canit nobis vetustas Gigantes, Aloidas; sed nunquam illa hominum piacula defuerunt. Dionysius per iocum fana spoliabat, Brennus item Delphos, alique. Nec Christianis temporibus defuerunt, Fridericus secundus. Tres, dixit, fuisse impostores insignes, qui genus hominum seduxerint, Moysen, Christum, Mahometem: eodem nunc multi tendunt, dum enim in tam magna religionum varietate nullam eligere possunt, omni carent. Contra hos iam dudum ago. Illi enim de pietate, iustitia, innocentia populorum suorum parum solliciti, satis habent, si illis subditis vrantur, si arbitrio ipsorum pareant. Imo flagitiis eos deuotos, libidinibus eneruatos esse cupiunt, ne contra imperium monere aliquid audeant, voluptatibus vnice addictos. Apud eos vnicum peccatum agnoscitur, & punitur, crimen læsæ maiestatis humanæ. Verum errant illi, & errore suo se, atque Rempublicam euertunt, fieri enim non potest, vt molliter regant populum, superbiam, luxu, ira, auaritia deprauatum, duro igitur, & imperioso rectore tales indigent, vt equi indomiti, & oris contumacis acriore freno, & duris lupatis coercendi sunt. Deinde ex licentia nascitur sumptuum magnitudo, inde egestas, cuius proles est iniuria, furta, rebellio, & commouenda, aut euertenda Reipublica cupiditas.

Magna vi-
tia duos
exigunt
principes.

Athei nullū
numen a-
gnoscentes,
a iis infini-

§. 2. Alterum genus atheorum est, qui nulla quidem ipsi superstitione tenentur, inanibus tamen numinum terculamentis plebeculam premendam censent, caerimonias illi caerimoniis addunt, & di-

uos diuis, variarum religionum conditores irreligioli. Fecere hoc plurimi ciuitatum magistratus, & iam olim fuisse in more positum Varro docet. Multa inquit esse vera, quæ non modo vulgo scire non sit vtile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter existimare populum expedit, & ideo Græcos Teletas ac mysteria tacurnitate clausisse. Hic certe, inquit, Augustinus lib. 4. cap. 31. totum consilium prodidit, velut sapientium, per quos ciuitates, & populi regerentur, & cap. 32. Dicit etiam de generationibus Deorum magis ad poetæ, quam ad physicos fuisse populos inclinatos, & ideo sexum, & generationes deorum maiores suos id est, veteres credidisse Romanos, & eorum constituisse coniugia. Quid vtrique non aliam ob causam factum videtur, nisi quia hominum velut prudentium & sapientium negotium fuit populum in religionibus fallere, & in eo ipso non solum colere, sed imitari etiam demones, quibus maxima est fallendi cupiditas. Sicut enim demones nisi eos quos fallendo deceiverint, possidere non possunt: Sic & homines principes non sane iusti, sed demonum similes, ea quæ vana esse noverat, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos civili societati velut artius alligantes, quo fallaces similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus & imbecillus enaderet simul fallaces, & principes ciuitatis, & demones?

Que vana
sunt, sola
tacurni-
tate secura
sunt.

Principes
fallaces si-
militer da-
monibus.

Nec iniuriam illis ab Augustino fieri, docet Cicero libr. 1. de natura Deorum. Quis tam cæcus in contemplandis rebus vnquam fuit, vt non videret species istas hominum collatas in Deos, aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad Deorum cultum à vitæ prauitate conuerterent: aut superstitione, vt essent simulacra, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent? Auscunt autem hæc eadem poeta, pictores, opifices. Erat autem non facile, agentes aliquid, & molientes Deos, in aliarum formarum imitatione seruare.

Sapientia
est inspiem
omnia tur-
bare.

§. 3. Hoc igitur totum genus superstitionis explodendum est, parum enim interest, per superstitionem aliquem, an per atheum superstitionem in Rempublicam inducatur.

Athei, &
superstitio-
simul reli-
gionem tol-
lent.

Magna sunt vero superstitionis detrimenta, primo, quia ipsa est affectatrix, & interpolatrix veræ religionis, & errore mentes, quasi vinculis captiuas tenet. Miratur Plutarchus in Camillo. Ἀρδω-
πίνην ἀδένειαν θεῶν οὐκ ἐχρυσαν ἀλλ' ἐπαρκεμένην, ὅπου μὲν
ἰς δευσιδαιμονίαν καὶ τῦπον, ὅπου δ' εἰς ἀλιγνέλειαν καὶ θάνατον,
καὶ πειρασμὸν. Humanam imbecillitatem miratur, finem non habentem sed exorbitantem, alibi in superstitionem & fastum, alibi in neglectum Deorum, & contemptum: Timidarum igitur, & pusillarum mentium est superstitio, facitque respublicas impostoribus obnoxias. Quia homines imagine pietatis, non seruales modo, sed pueriles etiam efficit.

§. 4. Deinde nimia Deum colendi, timendique sollicitudo anxios animos efficit, imo homines ineptos, & ridiculos; itaque barbaros, mulierculas, & quorum ex adolescentia, vel senectute discernendis rebus infirmum est iudicium, præcipue infestat. Scio apud Romanos iam cultos, fuisse superstitionem magnam; sed fere ludibrio erant eius commentatores, Numerius Atticus iurauit quidem vidisse se Augustum in celum ascendere, sed nemo illi credidit, ne Iulia quidem, quamvis pro tam infami periurio decies tertium homini numerauerit.

Superstitio
pueriles fa-
cit.

§. 5. Tertio, Cultores vanorum numinum, & superstitionibus addicti, in medio nunquam consistunt, sed in vana, absurda, horrenda, flagitiosa abeunt. Dira enim res est superstitio, nec vllum flagitium adeo foedum dictu, aut factu immane est, in quod non impulerit animos falsæ religioni obnoxios, veritati aduersos.

Vanita-